



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sanctorvm Qvinqvaginta Ivris-Peritorvm Elogia

Roberti, Johannes

Leodii, 1632

Sanctvs Gregorivs Magnvs, Papa, Et Confessor, Romanus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45032

SANCTVS GREGORIVS
MAGNVS, PAPA,
ET CONFESSOR,
Romanus.

ASSERTIO IVRISPER.

Iohannes Diaconus, Vitæ S.

Gregor. lib. 1. cap. 4.

*Conuerſionis ſue gratiam protrahens, tutius
ſe Chriſto ſamulaturum putauit, ſi ſub
PRAETORIS VRBANI habitu mun-
do ſpecietenus deſeruiret,*

Ipe S. Gregorius VRBANA PRAEFECTVRA ſe functum teſtatur lib. 3.
Epift. 2.

Loquatur Orbis Vniuerſus Virtutes,
& Immortalia Opera huius mortalis
Angeli, & immortalis hominis.

Loquantur tota Monaſteria, quæ fundauit,
quibus præfuit, quæ Legibus optimis,
& melioribus Exemplis, téperauit.

Loquantur Legationes, quas obiuit:
Hæretici, quos reuicit, quos conuertit:
Epifcopi, & totæ Eccleſiæ, quas correxit.

Loqua-

Loquatur Pontificatus, quem inuitus, & diuinitus coactus, suscepit, sanctitate illustrauit, summâ prudentiâ gessit, pari constantia defendit.

Loquantur Concilia, & Synodi, quas congregauit, quibus per suos Legatos præfuit, quas confirmauit, quarum Decreta accuratè seruari curauit.

Loquatur, & deprædicet Orbis terræ Caput, Roma, cui litterarum studia, mores Christianos, virtutes reduxit.

Loquatur præ omnibus Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra, hunc Patrem hunc Magistrum nacta: qui eam antiquæ dignitati restituit, & talem, qualis sub Apostolis ipsis prima floruerat.

Loquantur nihilominus adiuncti huic Ecclesiæ tot populi, ac in primis Saxones Angli, huius Angeli operâ, ipsi Angeli facti.

Loquantur peruicaces anathemate percussi; & sic defuncti, anathemate post mortem soluti.

Loquantur Pueri Ethnici, magno ære
ad

S. GREGORIUS MAGNVS. 117
ad hoc emti, vt Christianis doctrinis
imbuerentur, Christo renascerentur,
Christo viuerent, & in Christo more-
rentur.

Loquantur & perfidi Iudæi, Christo
adiuncti, impietate, & pecuniarijs pen-
sionibus liberati.

Loquantur Xenodochia ab eo erecta,
optimis legibus constituta, redditu an-
nuo liberalissimo dotata, optimis Re-
ctoribus subiecta.

Loquantur Eleemosinæ publicæ, pri-
uatæ, quibus omni hominum generi,
munificentia Regiâ prospectum.

Loquatur Mensa ipsa Gregorij, non
magis Grogorij quàm Pauperum, quos
ille secum adhibebat; loquantur hi ipsi
pauperes: sed inter eos loquatur cum
Pauperibus aliquãdo admissus Angelus.

Loquatur præ omnibus (cuius virtute
& gratia, hæc omnia patrabat magnus
hic Pontifex) Christus IESVS ad ipsam
eandem mensam & ipse pasci dignatus.

Nos verò impares minimæ eius actio-
ni exponendæ, fileamus.

Vt

Vt tamen habeant Iurisperi, quibus potissimum hæc scribimus, quo zelo arderet hic magnus Iurisperitus Iustitiæ, etiam Vindicantis, refero breuissimè historiam, quam de eo affert Io. Diaconus, lib. 2. cap. 43. eamque de Iudice, Iuris non nimium amante. Is cum ob relictam Coniugem à S. Pontifice, æquitatis amantissimo, communionem priuatus fuisset: consultis Magis, id obtinuit, vt cum ad stationem ipse Pontifex eques proficisceretur, immisso Cacodæmone adeò eius quadrupes vexaretur, vt nec à Sessore, nec à famulatio, iam cohiberi posset. Tunc Gregorius, inquit Diaconus, reuelante Spiritu sancto, Dæmoniacam immisionem cognoscens, facto crucis signaculo, tam caballum à præsentis rabie liberauit, quàm Maleficos perpetuâ cæcitate multauit. Quos reatum suum, suggestionem incesti Iudicis, confitentes; ac postmodum ad sacri baptismatis gratiam venientes, luminibus quidem, ne Magiam relegerent, reddere noluit: eos tamen Ecclesiasticâ stipe nutriri præcepit.

Obijt Anno Christi 604. 12. Martij.

S.